



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Sabas Abbas. 5. Decemb.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

verò nūnquid secùs agis? Nunquid aliquando dimitis  
divinum obsequium, ut parenti aliisque obsequaris?  
Adolescens cape exemplum de sancta Barbara. Disce-  
de à parentum tuorum voluntate, si mandatis divinis  
adversetur. *Melius est, contristare parentes, quam contri-  
bare Deum.* Joann. Clim.

2. Sanctæ Barbaræ parens Carnifex fuit natæ suæ:  
verum irato Deo meritas poenas dedit: occisa quippe  
natæ, occidit & parens, tactus cœlesti fulmine. Ti-  
meant parentes, timeant propinqui, timeant amici  
qui filios propinquos, & amicos avertunt ab obsequio  
Dei. Num etiam tu dicteriis, & pravo exemplo ab-  
strahis socios tuos à piis opeibus?

3. Sancta Barbara, morientium singularis patro-  
na est: ut qui ipsius opem implorant subitaneâ & im-  
provisâ morte liberentur à Domino, eam itaque im-  
posterum invoca: sed ut hæc Beatissima Virgo tibi sin-  
gulariter opituletur, imitare ejus virtutes: & ne incau-  
tum te mors opprimat. *Exspecta quotidie finem vita.* &  
ad illud iter te para. S. Ephrem.

## S. S A B A S Abbas.

5. Decemb.

*Scio enim cui credidi, & certus sum,  
quia potens est, depositū meum ser-  
vare in illū diem.* Paul. 2, ad Tim. c. 1.

**S**Abam si spectasles, Imperatorem dixisses;

ut

ut qui monachorum exercitum non unum  
ducebat, Viros omnes, quales vultu etiam se  
ferebant, cùm ille imberbem in castra sua ne-  
minem admitteret. Sævientis fornacis flam-  
mas scribitur Crucis signo extinxisse; feras &  
feris mage feros homines domuisse: Agare-  
num qui fallaci animo accesserat, terræ hiatu  
devovisse: templum, cœlo monstrante, in  
rupe alicubi reperisse: in Genium malum ab  
ipso Christo armatus depugnasse, ab eodem  
nunc cibariis, nunc pecuniis donatus. Jam  
Leonem, qui medicam Sabæ manum expet-  
tus erat, ajunt Asinocustodem ducemque ad  
pascua fuisse tamdiu, quoad Agaso Luxurie  
fœdè se contaminavit, tunc enim devorasse  
Asinum. Ipsum Sabam, cùm ad Anastasium  
Imp. hæreticum iret, anteambulonem ha-  
buisse Angelum, verbis impium liberis casti-  
gasse, mortemque ei imminentem multò an-  
tè prævidisse. Sed & Justinianum itidem Im-  
peratorem palam coronam cœlo vidisse des-  
cendere & caput Sabæ ambire, qui tamen ex-  
orari non potuit, ut heredem Imperatori apud  
Deum impetraret, quod hunc hæreticorum  
partibus accessurum sciret; Denique in cœ-  
lum abiisse Anno D. XXXI. inter DD. Mat-  
tyrum Comitatus. Ex Metaphr.

MEDI-

## M E D I T A T I O.

*De Spe.*

1. **S**pера in Deo, sed spei tuæ accedat timor; spes enim sine timore desidiam parit, timor vero sine spe, desperationem. Bonus est Deus, vult omnes salvos fieri, quid dulcius? Justus est Deus, est potens ad Tartarum detrudere, quid terribilis? Timeo justitiam, spero misericordiam. Miserere mei Domine, non secundum magnam justitiam, sed secundum magnam misericordiam tuam.

2. Domine à bonitate tua infinita cum præsentia, tum futura bona spero, non autem ab hominibus, aut ab ingenio, labore & amicis meis. Tu, Domine tu solus es spes mea. Non à te honores, divitias, & voluptates postulo: faceant, id genus bona, amorem tui solum mihi dones, & dives sum satis, nec aliud quidquam ultra posco. Heu? ubi fides, ubi spes mea? An verè cœlum spero? cum tantum terræ adhæream. Sane spiei nostra ac fidei prævaricatores sumus: simulata fides, fusata videntur esse, quæ dicimus. Cyprian.

3. Non in laboribus meis, sed in meritis Jesu Christi sita est spes mea. Dum me ipsum considero, infernum timeo; dum Jesum Crucem pendentem aspicio, spero Paradisum. Veniat Dæmon: veniat caro. Non confundar, si forte consurgent adversum me, quoniam non in me, sed in te speravi. Aug.

S. NI-